

COMITATVS  
Iohannes Petrus Valla Clarissimo ex iustis Iusto Veronēsi senatori equiti  
iurato iuris utriusq; doctori. Salutem dicit æternam.

CVM Naturalis hystoriæ secundi libri locos ambiguos & obscuros: quos olim pater  
meus profitendo enarrauerat: in ordinem cōmentationum redigendos animo agi-  
raret: & quia difficile id factu arbitrabar: non quia homini doctissimo paratissimi: ob-  
uii & expositi non essent: sed quia tum legēdo. tum aliud agendo maioribus nego-  
tiis: quæ ad rem litterariam pertinebāt occupatissimum & implicatissimū esse aiad-  
uerterem: opere precium fuit succisuis temporibus cū illi per otium uacare liceret  
eo dictante quæ antea in explanatione horum locorū præcepisset statim colligere:  
ut quoad per me fieri posset bonarū artium studiosis prodessem: qui ut erat non mi-  
nus eruditissimus: q̄ humanissimus: quantum quisq; suæ ætatis alius mihi in hanc rē  
flagrātissimo morem gessit. Ne igitur hi fructus quos nostra industria parauerā situ  
& squalore obtriti ac reconditi prorsus interirent: eos censui in publicam utilitatem  
tanquam e promptuario proferendos. Sed quoniā plurimum interesse arbitror per-  
pendere cui has nostras lucubrations dicaturus sim cogitanti mihi nōnulli occur-  
terunt partim q̄ parentem meum eiusq; doctrinā unice dilexerunt partim q̄ littera-  
tura non mediocri pollēt: hoc quisq; munus uēdicare iure optimo uidentur sed ut  
acriter animū meum in hanc cogitationem intendo tu unus omnium facile prin-  
ceps reliquorum ambitum superasti. Quæ uoluntas in hunc hominem testator &  
illustrior: q̄ tua apparuit? Præsertim cum de honore atq; utilitate tractaretur. & præ-  
ter q̄ quod ipendio doctus. sublimis & generosi spiritus geris animū & abūde sumi-  
nistrantur quæ foelicitatis humanæ intersint. Quo libentius hoc opus tibi inscribe-  
rem etiam dexteritate tua & facilitate alliciebar. Quid quod idem Plinius te hoc  
nostro dignissimum munusculo iudicauit. Tum q̄ iuriscōsultus es maximus homi-  
ni de quo agitur controuersia cauere poteris. Tum si opus erit quia militari cingu-  
lo accinctus es si non uerbis: cautione armorum eum tueberis: nam ille uidetur cō-  
queri quod nouocomēsis haberi uelit. Et quo Verona nouo como nobilior & clari-  
or esse dignoscitur: eo magis Veronam patriā suā agnoscere uideat. At ne sim q̄ par-  
sit præfatione longior de re ipsa iam dicere incipiam. Vale.